

dixerit, ac ne ipsi quidem Photiniani dicunt. 4. Lectio-
nis varietas in Codice Britannico & Hispaniensi nihil de-
rogat ipsi rei, in utroque enim illud de tribus in cœlo te-
stibus habetur, quamvis in articulis & in quibusdam vo-
culis, quædam diversitas animadvertatur, quæ cum in
aliis etiam Canonica Scripturæ locis occurrat, non potest
hujus versiculi autoritatem penitus destruere. 5. Denique
si adversarii certò & indubitato statuerent, locum illum
de tribus in cœlo testibus esse supposititium & adjecti-
tium, simpliciter eum repudiarent, ac responsione indi-
gnum judicarent. Jam verò constat, quòd de eo tor-
quendo & argumentis, quæ pro nostræ sententiæ con-
firmatione ex eo petuntur, utcunque diluendis, magno-
perè sint solliciti, ut ex Socino, Goslavo, Eniedino, Schmal-
tizio, &c. notum. Ergò tacitè quodammodo concedunt,
verba illa à Johanne esse scripta, eademque in antiquis &
probatis exemplaribus haberi.

2. ex præ-
termissa
veterum
citatione. 46. 2. *Ex prætermissa veterum citatione.* Socin. in comm.
1. Joh. 5. p. 416. *Verba illa esse adulterina, intelligi potest ex testi-
monis antiquorum Theologorum, tam Græcorum, quam Latino-
rum, qui maxima ex parte hunc locum vel citantes vel explicantes
nullam faciunt mentionem triplicis testimonii, Patris, Verbi & Spi-
ritus S. in cœlo testantium, & fortasse ante Hieronymum vix ullus
invenietur, qui testimonium illud hoc in loco planè agnoverit. Blan-
drata in Disp. Alban. 2. ad diei. Nemo est, qui non videat
hunc locum esse suspectum, cum à plurimis Doctoribus & Inter-
pretibus ferè omnibus prætermissus sit. Erasmus in annot. p.
768. Cyrillus cum lib. 14. thesauri c. 5. sub fin. dimittet ad-
versus Arianos, plurimæque in illos congerat è divinis libris testi-
monia, probabile non est illum omisurum fuisse telum, quo maxime
confici poterant illi, si aut scisset aut credidisset, hoc fuisse scri-
ptum ab Apostolo. Beda locum hunc diligenter enarrans cum accu-
rate multisque verbis exponat testimonium triplex in terra, nullam
facit mentionem testimonii in cœlo Patris, Verbi & Spiritus, &c.
Secutus hic est Augustinum, qui in libris adversus Maximum Aria-
num*

num